Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

expeditiones obeunde. fundendus ad ultimum cruor: Omnia denique a-
mara & gravia patienter ferenda: eo quidem promptius: quo nobis im-
perator noster deus premia pro laboribus eterna constituit. & cum in hac
terrena militia tantum homines laboris exauriant: ut ea sibi pareant que possit
eodem modo perire: quo parta sunt certe nobis nullus labor recusandus est:
Quibus id acquiritur: quod nullo modo possit amitti. Voluit enim deus: qui homi-
nem ad hanc militiam genuit. expeditos in acie stare. & intentis acri-
animis ad invisibilis hostis insidias vel apertos impetus vigilare: qui nobis-
cum periti & exercitati duces solent: variis artibus captat. pro cuiusque natura &
moribus seviens. Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit: ut
opibus suis tamquam compedibus illigatos a via veritatis excutiat. alios in-
flammat ire stimulis: ut ad nocendum potius intentos a dei contemplatione
detorqueat: Alios immoderatis libidinibus immergit: ut voluptati et corpori
servientes ad virtutem respicere non possint. Aliis vero inspirat invidiam:
ut suis ipsi tormentis occupati nihil cogitent aliud: nisi eorum: quos o-
derint: felicitatem: Alios inflammat ambitionibus. hi sunt: qui ad
regendos magistratus. omnem vite sue operam curamque conferunt: ut
fastos signent et annis nomen imponant: Quorundam cupiditas
tendit altius: ut non provincias temporali gladio regant: sed ut & infini-
ta & perpetua potestate dominos se dici velint universi generis humani:
Quos autem pios viderit variis implicat religionibus: ut impios faciat:
His vero: qui sapientiam querunt: philosophiam in oculis impingit: ut specie lucis
excecet: ne quis comprehendat ac teneat veritatem: Sic hominibus obstruxit
aditus omnes & obsepsit vias publicis letus erroribus: quos ut discu-
tere possemus: ipsumque auctorem malorum vincere: illuminavit nos deus: &
armavit vera celestique virtute de qua nunc mihi disserendum est:

Sed priusquam singulas virtutes exponere incipio definien-
da est ipsa virtus: quam non recte philosophi diffinierunt. quid esset:
aut in ceteris quibusque rebus quid operis quid habeat officii:
Nomen itaque solum retinuerunt: vim vero & rationem & effectum
perdiderunt: Que cumque autem in diffinitione virtutis solent dicere paucis
versibus colligit & enarrat Lucilius: quos malo equidem ponere: ne dum
multorum sententias refello: sim longior: quam necesse est: Virtus albine
est pretium persolvere verum. Quis in versamur. qui vivimus rebus
adesse: Virtus est homini scire id: quod queque habeat res: Virtus scire homini
rectum. utile. quid sit honestum: Que bona: que mala. Item quid
inutile. turpe. inhonestum: Virtus querende finem rei scire modumque

V
Remedia contra dolos hostis male edicti
Quid sit virtus secundum Lucilium: